


1. Rappolti J. Frid. / Diss. de Filia-
tione Renatorum, ex 1. Koh. III. v. 2.
Lipsiæ, 1676.
2. Reime J. Henr. / Gottlieb. / Diss. qua
Achariam Judæ Regem, Alate
non majorem parente suo Joram
fistit. Jena, 1714.
3. Reuter / Chr. / Diss. ДИКАЯ МА ТОУ
НОМУУ in Christo et Christianis.
Serrveste, 1716.
4. Richter Dav. / Diss. considerans
pyriognomiam Sacerdotis, ex Lev.
XXI. v. 16. Jena, 1715.

5. Ritmeier / Christoph. Henr. / Diff. de
quotidiana Christianorum morte
et Resurrectione, Helmstadt 1711.
6. — De Signo Frontis Bonorum
Israelitarum, Helmstadt 1711.
7. Rosa / Joh. Gotthelf. / Diff. ex Esaię
LIII. v. 9. jense 1715.
8. Andrauff / Hilian. / Diff. de Per-
missione Divina circa peccata,
Gisse, 1693.
9. — Diff. de Episcopa Laodicensium
Gisse, 1680.
10. Schaller / Luc. / Diff. ex 1. Petri II.
v. 7. 8. Christus Lapis offensionis.
Antverpię, 1690.
11. Schelguiz / Gottlieb / Diff. de Commu-
nionę Bonorum Felate apostolica
Hierosolimis usurpata Gedani, 1715.
12. Schelguiz / Sam. / Diff. de Christo
ut propitiatoris, Gedani, 1715.
13. Schmid / Joh. / Diff. de triplici
Brabeo Fidelibus promisso, Lippę
1722.

14. Schmidy / Joh. / Diff. ΕΖΗΓΗΕΙΣ
 Disputi Pauli Act. xx. v. 28. Argentorati,
 1623.
15. — Diff. de Tractu Patris ad Filium
 Salutari, Argentorati 1632.
16. Schmidy / Joh. Andr. / Diff. sistens
 Jethronem ex Cap. II et VIII Exodi.
 Helmstadt 1715.
17. — Minister Ecclesie omnibus
 omnia, Helmstadt, 1701.
18. — Diff. de Abusu psalmi CIX.
 imprecatorij, vulgo nom. totid. blasphem.
 Helmstadt 1708.
19. Schmid / Sebast. / Diff. de Baptismo
 Super mortuis, Argentorati, 1656.
20. — Diff. de Articulis Fidei funda-
 mentalibus et non fundamentalibus,
 Argentorati, 1668.
21. — Diff. de Unctione Neffie Domini
 nostri, Argentorati, 1670.
22. — Diff. de Filijs Lucis, Argentorati, 1695.
23. — Diff. de Fide miraculosa, Argento-
 rati, 1680.

24. — Diff. de Cantico Zacharie,
Argentorati, 1684.
25. Schoepffer / Wolff, Dav. / Diff. de
Flagellatione Apostolorum, Wittenberga
1683.
26. Schroeco / Georgij / Diff. de Sapientia
Hypostatica, Wittenberga, 1715.
27. Wernsdorff / Gottlieb. / Programma de
Sanctibus nostri Temporis,
Wittenberga, 1715.
28. Schultze / Christoph. / Diff. de
Civitatibus Curuum, Wittenberga
1722.
29. Senstj / Joh. / de Penitentia nunc
et tunc, an Specie differant,
Pestochi.
30. Siricy / Em. Jerh. / Diff. de Angelorum
Linguis, Wittenberga, 1683.
31. Sentay / Christoph. / pentus Assertio,
num ad faciem Natis nostrae, qua
de Nativitate credendorum in Irreseritas
controvertitur, de Resistentia Anite-
rum Stephani adversus Spiritum
Sanctum, Altorfi 1710

32. Sontag / Christoph. / Diff. de
Integritate primi hominis, Altorfi
1701
33. — Characteres boni principis
maxime imperantis, Altorfi
1716.
34. — Diff. de pice et Sulphure
Inferni, Altorfi, 1708.
35. — de Anglopoeia Divina, Altorfi
1700.





Q. D. B. V.

3

ΔΙΚΑΙΩΜΑ ΤΟΥ
ΝΟΜΟΥ

IN

CHRISTO ET
CHRISTIANIS,

ex Rom. VIII, comm. 4.

PRÆSES

CHRISTIANUS REUTERUS,
SS. THEOL. DOCTOR EJUSDEMQUE PARI-
TER ET METAPHYSICES PROF. PUBL. AT-
QUE AD AEDEM SS. TRINITATIS
PASTOR,

RESPONDENS

JOH. REINH. MÜCKENIUS.

LINDAVIA-ANHALTINVS

Theol. & Philos. Studiosus

PROPONENT

DIE VIII. APRIL. A. M. DCCXVI. H. L. Q. C.

SERVESTÆ,

TYPIS JOH. FRID. ERNESTI, ILL. GYMN. ANHALT.
TYPOGR.

an 2

28

Via ...

*SERENISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO,
DOMINO
CAROLO WILHELMO,
PRINCIPI ANHALTINO,
DUCI SAXONIÆ, ANGRIÆ ET WEST-
PHALIÆ, COMITI ASCANIÆ, DOMINO
SERVESTÆ, BERNBURGI, JEVERÆ
ET KNIPHUSII,
DOMINO SUO AC NUTRICIO LONGE
CLEMENTISSIMO:*

*PARITER AC
SERENISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO,
DOMINO
JOHANNI AUGUSTO
PRINCIPI HÆREDI,
DUCISAXONIÆ, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ
COMITI ASCANIÆ, DOMINO SERVESTÆ,
BERNBURGI, JEVERÆ ET KNIPHUSII,
DOMINO SUO GRATIOSISSIMO*

*Has studiorum primitias in subiectissimi ani-
mi signum, sui que & studiorum suorum
humillimam commendationem consecrat*

Joh. Reinh. Mückenius.

B. C. D.

ΔΙΚΑΙΩΜΑ ΤΟΥ ΝΟΜΟΥ
IN CHRISTO ET
CHRISTIANIS.

Quod de epistola, per Paulum ad Romanos conscripta, B. *ÆGIDIUS HUNNIUS* prædicavit olim, maxime quod esset *Theologica illa, & clavis univ[er]sæ Scripturæ, introducens nos ad reconditissimam Christianæ Religionis arcana*, id quidem eadem ipsa, quo magis tractatur, hoc magis per semetipsam in dies confirmat. Illa enim ibi diviniorem, atque in res ipsæque nostras æternas patefactarum veritatum comprehensio: hæc apertorum verborum humilis gravitas: tanta argumentorum ex re & verbis deductorum vis, tantumque ad falsum removendum pondus: iste inentiarum, sanctissimisque adhortationibus distinctarum consecutionum nexus, ut *EUSEBIUM* *historiæ ecclesiasticæ* libro *XXIV.* non citra causam dixisse, reperiamus: *PAULUM* ἐν παρασκευῇ πάντων δυνατάτων λόγων, νοήμασι δὲ ἰκανάτων εἶναι.

Ex hoc thesauro promemus margaritam quandam Theologicam, cujus nec dignitas æstimari satis, nec præstantia laudibus, ut merebatur, exornari potest, propterea quod pretio, in omnes salutis nostræ partes valido, excedit omne, quicquid carum aut magnum deprehendatur. Verba sunt, quæ in commemorata epistola ad *Romanos*, capite *VIII.* & commatibus quidem, *tertio & quarto*, comparent: *Τὸ γὰρ ἀδύνατον τῶ νόμου, ἐν ᾧ ἠδένει διὰ τῆς σαρκός, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιωματι σαρκὸς ἁμαρτίας,*

ὅτι περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί, ἵνα τὸ δικαίωμα τῶν νόμων ἐν ἡμῖν πληρωθῇ τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα, quæ, ut habet versio JUNII & TREMELLII, idiomate latino sic fluunt: *Nam quæ legis erat impotentia, quum viribus esset destituta in carne, Deus, suo ipsius Filio misso, in forma consimili carni peccato obnoxie, idque pro peccato, condemnavit peccatum in carne, ut jus illud legis compleatur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.*

Sed cum B. ITTIGIUS, magna qui cum nominis celebritate & cathedram Lipsensium & suggestum non ita pridem exornabat, PRIOREM HUIUS DICTI PARTEM dissertatione erudita, Anno 1701. Mens. Decembr. Lipsie habita, luculenter admodum illustrari fecit; in ALTERAM illam partem his verbis comprehensam:

ἵνα τὸ δικαίωμα τῶν νόμων πληρωθῇ ἐν ἡμῖν.

studium jam nostrum operamque collocaturi sumus. Causa autem instituti hujus est, tam ut serviamus tempori, quod acerbissimis Servatoris nostri perpeffionibus sacrum est, quam ut capita quædam doctrinæ & religionis gravissima, de *Lege, justitia Dei, satisfatione, gratia evangelica, commutatione morali inter Christum & Christianos, justificatione, vita Christiana*, quæ multis hodie objectionibus controversa sunt, contemplemur, ad quæ adeo tractanda bono cum Deo, lubet, accedamus.

SECTIO I. Ὀνοματολογικῆ.

I. Δικαίωμα ex δικαιοῦσαι, δικαίω, hoc vero ex δικαίος, quod cum prius positis, ceterisque cognatis, origines tandem ducit a δικη. Δίκη vero, si optimos quosque auctores & usum ritusque antiqui fori comparemus, deprehendimus, electum id vocabulum fuisse, quod de actionibus in publico judicio instituitur.

stitutis, earumque prosecutione, tum de sententiis, ex justitia norma
 latis, atque, ut cause merita fuerunt, vel ad bonos in jure suo &
 justitia defendendos, absolvendos & laudandos; vel ad malos accu-
 sandos & puniendos confirmatis, usurpatum fuit. Ita Judæi dice-
 bantur contra Paulum αἰτέμενοι δίκην. Act. XXV. 15. Unde δίκην
 τίειν. 2. Theff. I, 9. δίκην ὑπέχειν. Jud. v. 7. idem est, ac δίκην δι-
 δόναι, vel ἰκανὴν δίκην ἐκτίειν, solvere, pœnas luere, κολαδῆναι.
 Parem in modum εἰσάγειν, ἐπάγειν δίκην, δίκην λαγχάνειν apud pro-
 fanos auctores est: in judicium protrahere, dictare judicium, li-
 tem intendere, judicium edere & actionem. Hinc τὸ καθίσαι
 Δικαστήριον de publico judicium confessu, ap. LIBANIUM Sophistam.
 Δίκη ἀδικος, Δίκη μὴ ἴστα, Ερημοδίκιον & ἐρήμη Δίκη, apud ICROS
 Græcos, quemadmodum multis id persecutus est BUDÆUS tam
 in commentariis linguæ græcæ, p. m. 21. 22. 36. quam in annotatio-
 nibus in Pandectas. Ad rem igitur hoc loco quam convenien-
 tissime ARISTOTELES δίκην definivit per κρίσιν τῶ δικαίῳ καὶ τῶ
 ἀδικῶ, luculento admodum & illustri exemplo, τὴν δίκην significa-
 tionem fori sive judicii publici habere. Unde non mirum, quod
 eadem vox δίκη non multum mutata a Græcis transferit ad La-
 tinos, eadem longo significationis eodemque publico usu com-
 probatæ proprietate, cum rei exprimendæ aptior reperiri non
 potuerit. CICERO in Verr. advenit dies, quo die ex instituto DI-
 CAS sortitutum edixerat. TERENCE in Phorm: si tu illam
 attigeris secus, quam dignum est liberam, DICAM tibi impingam
 grandem.

II. Quæ vis autem ex antiquitate in voce δίκη est, eandem
 iis quoque inesse, recte judicamus, quæ ex hac radice succreve-
 runt. Sic τὸ δικάζειν, quando de rebus usurpatur, indicat id, quod
 ius, justum & æquum est, ut eum in modum æstimari queat.
 Matth. XX, 4. Ὁ εἰδὼς ἢ δικάσει, δόσω ὑμῖν, conf. ibid. v. 7. it.

Actor. IV. 19. Ephes. VI. 1. ubi *THEODORETUS* δίκαιον, dicit, significare τὸ κατὰ τὸν τῷ Θεῷ νόμον. & *THEOPHYLACTUS*: καὶ Φύσει δίκαιον ἐστὶ, φησὶ τὰτο καὶ ὑπὸ τῷ νόμῳ προσίσσεται. Pari modo 2. Thessal. I. 6. δίκαιον παρὰ τῷ Θεῷ, ανταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν θλίβουσιν. Quo referamus illud *BASILII M.* δίκαιόν ἐστι τὸ πρὸς ἀξίαν τῶν ἔργων ἐκάστῳ αποδιδόμενον. in *regul. brev. tom. II. p. m. 623.* Τα δίκαια, jura, ap. *ARISTOPHANEM*.

De personis cum usurpatur δίκαιος, præcipua quadam ratione, eademque forensi, illum denotat, qui propter vite & actionum conditionem diversam, vel ut probus meritis, liberatione ac laude; vel ut improbus reatu, penis & vituperio dignus censendus & pronunciandus est. Sic *OECUMENIUS* in 1. Corinth. IX. p. 434. in verba Pauli ἐστὶ καὶ ἐγὼ ἐκκοπίαστα δίκαιος ἤμιν τρέφεσθαι. Apud *ARISTOPHANEM* in *nubib.* quidam pronunciatur δίκαιος ἀπολαβεῖν ταργύριον. Contra *DEMOSTHENES* in *Mid.* aliquem morte dignum dicit δίκαιον ἀπολαβεῖν. Hinc ὑπόδικος est reus & condemnationi obnoxius. Rom. III. 19. *καταδικάζουσιν*

III. Sequitur de Δικαίω, quo investigando non opus est, multum immoremur, propterea quod originis, cognatorumque, notionem retinet ac tuetur. Ita *SVIDAS*, in grammaticis longe exercitatissimus, docet, δίκαιον δύο δηλαῖ, τὸ τε κατὰ τὸν νόμον, καὶ τὸ δίκαιον νομίζεω. Non fecus *AUCTOR* etymologici: ἐδικαιώθησαν, δίκαιος ἐκρίθησαν, ἐνομιώθησαν. Σημαίνει δὲ καὶ τὸ ἐναντιον, κατεδικαιώθησαν δίκαιος. conf. in *Sacris*: Rom. III. 4. Pl. LI. 6. 1. Tim. III. 6. Repetere nolo, quæ ex *PATRIBUS*, *Iustino M.* *Basilio M.* *Theophylacto*, *Theodoreto*, *Chrysofostomo*, aliisque multa cum diligentia comportavit *SVICERUS* utilissimo in *Thesauro Eccles.* p. m. 916. 917. videtis quoque *CHEMNITIUM* in *LL. theol. de Iustific. & Exam. Conc. Trid. loc. eod.* *STOLBERGIUM* in *exercitationib. græc.* in *N. T.* n. 8. p. m. 357. seqq. Summe Rever. *Dn. D. DEYLINGIUM* in elegantissimis *Observationibus Sacris*, Part. III. *append.*

append. pag. m. 457. sqq. Nihil ergo in his vocibus omnibus reperiunt Pontificii, quo suas justitiæ & sanctitatis infusiones & effectiones habituales probare queant. Neque ipsum quoque latinum *justificare* solidum causæ argumentum suppeditat. Vera enim & genuina hujus vocis significatio e communi magis usu petenda, quam e nuda notatione. *Justificationi* ut in Sacris, maxime in epistolis Paulinis ea sumitur, directe opponitur *condemnatio* proprie dicta. vid. Rom. V, 18. Quemadmodum igitur *condemnatio* malum aliquem aut injustum non facit, injustitiam in eum infundendo vel efficaciter inducendo: ita nec *justificatio* justum proprie facit, sed eodem prorsus modo *justificatio* facit justum, quo *condemnatio* iniustum, scil. iudicando, & absolvendo.

IV. Proveci adeo ad vocem *δικαίωμα*, facile intelligamus, quid de natura ejus ac significationis proprietate sit explicandum.

Nimirum

Primo loco *δικαίωμα* idem est, quod *ius, justitia, justum, sanctum & æquum*, uti lex sancta postulat. SVIDAS in Lexico vocem hanc explicaturus dicit, ἰδὲν δικαίωμα των ὀπλων ἰσχυρότερον. Vis enim & arma omne aliquando jus pervertunt. LXX.

Interpretes justam Jeremiæ causam *δικαίωμα* appellant. cap. XI, 20. XVIII, 19. εχει τὸ δικαίωμα της βοηθείας explicat CHRYSOSTOMUS de eo, qui perfectum habet jus postulandi auxilium. homil. 10. in Epist. ad Ebr.

In epistola ad Rom. cap. V, 16. *δικαίωμα* perfecta justitia & servatio legis in Christo opponitur παραπτώματι, transgressioni legis Adamitice. Τα δικαίωματα τῶ νόμου Rom. II, 20. sunt, quæ recta & justa.

Deinde cum illud, quod justum & perfectum est, in legibus comprehendatur, proponatur & sancitur, hinc ipse leges, constitutiones justæ & præceptiones non raro vocantur *δικαίωματα*.

in quibus *PRIUS* legis *POSTULATUM* conficit, quod erga homines iubendo, præcipiendo, incitando agit, ut iuste vivant. Quo evolvamus in textu Græco vel solum Psalmum CXIX. it. Luc. I, 6. Apoc. XV, Ebr. IX, 9, ad quem ultimum locum *THEODORETUS*: τὰς ἐντολάς ἕως ἐκάλεισε; καθὼς τὴν θείαν ἐποιεῖντο λατρείαν. Huc facit illud *CHRYSOSTOMI* in Pf. CXIX. Νόμοι vocari δικαιώματα, ὡς δικαιεῖν τὸν καταρθύνται δυνάμενον. Apud *Aristotelem* τὰ τῶν ἀμφισβητῶντων δικαιώματα, sunt *causæ præsidia & firmamenta, quibus ea nititur, tum & instrumenta, quibus confirmatur.*

Tandem uti leges, in iisque comprehensæ justitiæ rationes aut servantur, vel tanquam servatæ propter mediatorem æstimantur in iustis & probis; contra vero ab improbis violantur; ita justitiæ sanctitas deinde *postulat*, ut iustæ sententiæ pronuncientur, & judicia vel in gratiorem partem, vel in accusationem & condemnationem sequantur. Hoc modo τὸ δικαίωμα *POSTERIUS* legis *POSTULATUM* indicat, ut, qui justitiam possidet, undecunque habuerit illam, *absolvatur, & iustus declareretur*, atque is, qui justitia caret, *condemnetur*. In hanc notionem Rom. I, 32. id vocatur δικαίωμα ἢ νόμος, quod Deus peccatores malitiosos dignos pronunciat morte. In partem vero contrariam valet, quando Rom. V, 16. τὸ χάρισμα dicitur ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα, gratiæ donum esse *ex multis peccatis in justitiam sc. absolutoriam*. Totam adeo rem exhaurit *Auctor responsionum ad Orthodoxos, Justino Martyri attributarum, resp. 92.* Explicaturus enim, quomodo inter se differant κρίματα καὶ μαρτύρια καὶ νόμος, ἐντολαὶ καὶ προτάγματα, dicit, quod Scriptura nominet δικαιώματα τῶν κριμάτων τὴν ἐξουσίαν ἀπονεμητικὴν τῶν κατ' ἀξίαν ἐκαστῶ, esse δικαιώματα *judiciorum rectam dispensationem, unicuique pro dignitate & meritis, quod suum est, tribuentem.*

V. Si

V. Si jam speciatim ad locum nostrum Paulinum respectemus, non eadem a metaphrastis voces sunt adhibitæ. *Vulgatus*, & qui hunc, ut fieri solet, magno numero sequuntur, reddiderunt *δικαιοσυνη* per *justificationem*, quod cum distinctione illustrare voluit *SALMERO* in h. l. intelligi scilicet *justificationem legis, non quidem a lege præstitam, sed a lege tamen intentam & promissam*. *PISCATOR* in opere biblico Herbornoensi habet: *Daß die Gerechtpredigung des Gesetzes erfüllet würde in uns. Atque citra omne dubium hoc sensu retinuerunt quidam orthodoxi auctores in latino vocem justificationis, uti ANDR. OSTANDER, junior ille & orthodoxie servantissimus. SEB. SCHMIDTUS in commentar. h. l. hanc paraphrasin adjecit: Ut adeo justificatio legis, seu id, quod lex ad justificationem requirit, impletum sit in nobis, ita, quasi nos implevissemus. p. m. 484. Ut boni isti fratres *Walenchurchii* non opus habuissent, in oper. tom I. p. 688. nobis objicere, quemadmodum id antea fecerant *Bellarminus* & *Pererius*, corruptum esse hunc locum a Protestantibus, ut imputativam suam justitiam defenderent, cum Paulus ipse de justitia legis agat, & alii ex Protestantibus explicarint de justificatione ex lege, quod autem facile subvertitur, dummodo ad veros explicantium sensus circumspiciatur. *Vetus versio Belgica* ponit: *Die Rechtveerdigmakinge*; *Nova vero: het Recht*, uti *JUNIUS* & *TREMELLIUS*, & *BEZA*, & alii nomen *δικαιοσυνη*, & articulum, τὸ, expressuri, posuerunt: *Jus illud, a quo non discedit Gallica ubi: la justice de la Loi fut accomplie en nous.**

VI. Quibus inter se omnibus consideratis ac comparatis elucet, *δικαιοσυνη* τὸ νόμος esse id, quod ex sanctissimæ legis norma justum est, ac perfectum ex justitiæ rigore. *Brevibus*: est id, quod ab aliis vocatur *POSTULATUM LEGIS*. Lex vero postulat, ut homo omnes & singulas legis partes & gradus, & omni, quantæ esse possit, virium contentione, omnique duratione temporis, ser-

vet quam accuratissime, aut, si in ullo violet justitiam, reus iste judicetur, ac condemnetur ad pœnas gravissimas sustinendas, quæ legis & legislatoris auctoritas, per commissum peccatum imminuta restituatur, & declaratur, Deum manere judicem justum, quæ restitutio aut per fontem, aut per alium intercedentem, præstari debet. Huc adeo facit, quod Paulus dicit Rom. III, 26. δικαιώμενοι δωρεάν τῆ αὐτῆ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν χριστῷ ἰησοῦ --- V. 26. εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν scil. Θεὸν, δίκαιον, καὶ δικαιῶντα τὸν ἐκ πίστεως ἰησοῦ. conf. 2. Cor. V, 21.

VII Explicationi huic adstipulantur PATRES, & optimi quique THEOLOGI. THEODORETUS ad locum Apostoli: χριστὸς ἀποδέδωκε χρεὸς, καὶ τὰ νόμῳ πεπλήρωκε τὸν σκοπόν, τίς δὲ χρεὸς ἦν; τὸ δικαίως ἀποθῆναι τὰ δεξαμένους τὸν νόμον. In eadem sententiam CHRYSOSTOMUS, & ex eo THEOPHYLACTUS, in h. l. τὸ δικαίωμα τῶ νόμου, ταῦτις τὸ τέλος, ὁ σκοπὸς (σκοπὸν γὰρ εἶχε τὸ δικαίῳ τὸν ἀνθρώπου) πληρᾶται, Φησὶν, ἐν ἡμῖν. Ὁ γὰρ νόμος ἐβέλετο μὲν, ἠδ᾽ ἐνεῖ δὲ, τᾶτο ὁ χριστὸς ἐποίησε δι ἡμᾶς. Iisdem fere utitur verbis THEODULUS, ex seculo V. in h. l. Idem habent Chemnitius, loc. de Justif. Balduinus, Gerhardus loc. de Justif. & comment. Aeg. Hunnius in thesauro apost. Calvinus, in bibl. illustr. & theologia apostolica. Brochmand. Syst. de justif. aliique plures.

VIII Porro jam consideranda occurrit vox

Νόμος.

Cujus tamen de etymologia non opus est, multum laboremus. In id vero inprimis inquirendum, quænam lex intelligi præ ceteris hoc loco debeat. In theologia usu receptum est, doceri: aliam esse legem moralem, perpetuam illam, & omnium gentium, perfectam agendorum & omittendorum normam, cujus summa in decalogo comparet: alias vero fuisse ceremoniales & sœrensēs, quæ ad ecclesiam tantum & politiam judaicam pertinerint,

nuerint, quibus sublatis, sublatas quoque esse omnes istas temporarias constitutiones. Videamus igitur quid, auctores hic sibi eligendum duxerint, tum vero ad rem ipsam quid sit accomodatam.

TOLETUS per legem, hic adductam, intelligit *legem mentis*, quam sententiam **JUSTINIANUS** quoque sequitur, qui *iustificacionem legis nihil aliud esse*, dicit, *quam quod lex mentis iuste prescribit*, quæ lucis tamen affusio non est sine tenebris. Ex recentioribus notari meretur opinio **HAMMONDI**, Angli, qui in not. ad N. T. putat, *Apostolum loqui de* כִּי, *de legibus, quas Deus præter legem moralem, omnibus datam, Judæis dederit servandas, & quæ excellentiori quadam ratione, a nobis observentur, qui existimamus, nobis abstinendum esse ab omni carnis immunditie, quæ ritibus illis adumbrata vetabatur*

Et hoc modo *δικαιοσύνη* rã vepus impleri, arbitratur. Contra **HUGO CROTIUS** verba ita *παραδειξι*: *Ut nos prestaremus omnia, quæ in lege Moysi per se honesta sunt & dicuntur* כִּי, *sicut ea, quæ sunt addita, vocantur* כִּי. His succurrere voluit **JO. CLERICVS**, & adjecit: *Ea, quæ Grotius annotavit, adversari iis, quæ Hammondus docuerit, ipse tandem quærens: Utri credemus?* respondit: *Neutri, si sapiamus.* Observat autem idem hic Batavus, apud Græcos Scriptores *δικαιοσύνη* dici ius & instrumentum, quo causam aliquam iustam esse constat. In Observat. ad not. Hammondii in N. T. Sunt, qui de gratia Novi Test. aut lege nova, Patrum quorundam, quæ per vires gratiæ servari possit, quæque per antiquas adumbrata fuerit, latueritque sub litera legis antiquæ, fermocinantur, ut quidam ex sequioribus Patribus, **REMIGIVS**, **PRIMASIVS**, **SEDLIVS**, **LANFRANCVS**, vid. Bibliothecam Max. Patrum, tom. VI. VIII. X. Sed absque causâ auctores quidam nechtunt tricas, ubi plana & distincta est veritas, cujus ex regulis convenientissime **B. HEERBRANDVS**: loquitur *Paulus præcipue de lege morali.* *Reliquæ enim duæ partes legis*

Mosaica ceremonialis & iudicialis, utcumque ab hominibus, hypocritis etiam, & non renatis, prestari possunt. Ac de illa certe parte legis se disputare, Paulus innuit, per quam peccatum agnoscatur, quod potissimum fit ex Decalogo. vid. Andr. Osiandri biblia latina in adiectis notis. h.l. Ex contextu etiam satis apparet, qua de lege Apostolo fit sermo, de ea scilicet, quæ ex natura quoque pateat, & omnibus gentibus fit communis. Rom. I. & II. Quam Fudei non servaverint, unde iræ sint obnoxii, quemadmodum omnes homines cap. III. Quæ non aboleatur per iustificandi modum in Christo, sed stabiliatur cap. eod. in fin. Quæ iram operetur. cap. IV. Cuius vi peccata in feditate sua & sequentibus reatibus summopere extollantur & aggraventur cap. V. Cuiusmodi proprietates & effectus non commode legi alii, quam perpetuæ illi morali, vindicari possunt.

IX. Ordo amplius postulat considerationem vocis

Πληρωθῆν,

Diversæ in Scripturis sunt formulæ de servatione legis. רמז, רגב, τηρεין, φυλάττειν, πράττειν, ποιεין, κατέχειν τὸν νόμον τὰς ἐντολάς, ἐμμένειν τοῖς νόμοις, quæ non perfectissimam ubique legis omnibusque numeris absolutam impletionem indicant, sed *verbum Dei quodcumque, legem, ac præcepta constanti fide in memoria custodire*, ubi vis sibi tanquam regulam & normam fidei morumque proponere, & observare, atque secundum eam recte, quantum in viribus est, credere ac vivere, uti summe Reverendus Dn. BERGERUS, qui sacris primariis Aula Cobenienfis jam magna cum laude præest, peculiari dissertatione, Vitembergæ A. 1706 Mens. Decembr. de vocibus τηρεין & φυλάττειν, habita, luculenter commonstravit. Νόμον vero ποιεין τελειν & πληροῦσαι sæpius de rigorosa completionem sumuntur, unde Servator noster Rom. X.4. vocatur τελος τῶ νόμου. conf. Rom. XIII, 8. Gal. V, 14. Jac. II. 8. Ita probi sæpius dicuntur *servare, observare, custodire præcepta &*
ver-

verbum divinum, quæ, ut ipsa S. Scriptura aliis locis exponit, κατὰ τὴν sunt accipienda. Scilicet *majorem* curam legum observandarum habent probi, quam improbi: omnium *virium contentione* Deum sequi *annuntur*: Ipsius instituta & cultus partes magnè æstimant: *puri* etiam sunt multoties illorum criminum, quorum a malis *accusantur*: *gratiam* divinam *non negligunt*: & propter *integritatem* studiumque suum, licet non omnia, & singulis gradibus eadem perfecerint, *laudantur pii, justi, & sancti*. Atque hanc legis impletionem rectè dicimus *inchoatam*, non ea tantum de causa, quod ad Deum conversi *inceperint* pie vivere, fideique fructus dare, sed maxime propterea, quod *justitia ista vitæ vere sit inchoata*, id est, sensu vere latino, *imperfecta, manca, debilis*. Ita Cicero id, quod *perfectum* est, opponit isti, quod *inchoatum*. vid. lib. I. de Legib. Idem habet: *Praclare multa inchoare, sed non plane perficere*. De hac autem justitia, quæ in theologia ad caput de *renovatione*, seu *sanctificatione*, refertur, Paulus in voce nostra, πληρωθῆναι, non agit. Hunc enim in modum, qui locum explicant, ea, quæ necessaria sunt, circumspectione non sunt usi. Nec sine causa **FRIEDLIBIUS** in *theol. exeget.* hic taxat, quod *Pontificii διαίωσια* referant ad renovationem hoc sensu: *Christum esse mortuum, morteque sua nobis gratiam Dei acquisivisse, ut nos legem Dei implere possimus, urgente particulam, ἐν ἧν quæ inhæsitam justitiam denotet.* Quo revocentur quorundam Patrum sequiorum non satis accurate dicta, uti **PRIMASII**, quæ hæc sunt: *In ipsa carne vitii peccatum, ut naturam, quæ fuerat bona, per conditionem & per transgressionem est vitata, per suam gratiam reformaret, ut ejus adjutorio vincere possit peccatum: quæ prius sic fuerat facta, ut possit non peccare, si velit. Sed ante transgressionem hoc, ut dixi, : Nam modo per gratiam Dei potest peccatum aut declinare, aut vincere, sic tamen, ut Dominum semper adjutorem imploret.*

*Ut justificatio legis impleretur in nobis: Hic aut ipsam gratiam legem vocat, aut certe illam justificationem legis, quae Spiritu intra literam latente, est manifestata. Ut, quoniam in illis viva, & repugnante carne, justificatio legis impleri non potuit, in nobis impleatur, qui Christi adiutorio carnem mortificamus cum vitiis. Praecepta legis implentur per charitatem, quae per timorem non poterant impleri. Parum discedit REMIGIUS in h. l. Ut justificatio impleretur in nobis, id est, inquit, per passionem ejus redempti, & per baptismum ab omnibus peccatis liberati, per Spiritum quoque Sanctum roborati, opera legis spiritualiter implere possimus, per cuius impletionem possumus justificari. l. c. tom. VIII. p. m. 914. Non melius rem egit & exposuit LANFRANCUS: *Misit Deus filium suum in similitudinem humanae carnis, quae peccati concupiscentiis saepe vexatur, ut memoria incarnationis ejus foasiones peccati a fidelium carne repelleret.* l. c. tom. XVIII. p. m. 634. Melius vero SEDULIUS, Hyberniensis, explicat impletionem hanc, quod fiat remissione peccatorum: *Ne fiamus obnoxii execrationi, ut THEODULUS adjecit, quemadmodum ante hos CHRYSOSTOMUS, & ex eo THEOPHYLACTVS, tum & THEODORETVS locum nostrum illustrarant. Similem in partem omnes boni ex recentioribus, & qui Pontificiis, aut Socinianis vel Arminianis vel Pietisticis commentis non delectati fuere, exposuerunt, quos adeo omnes audiamus in B. CALOYIO sequentem in modum: *Ἰνα τὸ δικαιομα τὸ νόμου πληρωθῆναι ἐν ἡμῖν, quod non est de inherente justitia intelligendum, & de impletionem, quae a nobis fiat, sic enim impleri a nobis & in nobis jus legis non potest, cum jus legis sit primum quidem jus condemnandi & puniendi peccatores morte. Rom. I, 32. Deinde demum post poenam, si emerferint rursus, exigendi perfectam obedientiam. Hoc autem a nobis impleri erat impossibile, quia si satisfaciendum juri legis a nobis ipsis, aeterna morte nobis pereundum fuerat ob peccatum Gen. II, 16. Deut. XXVII, ult. Rom. V, 12. Quo-***

modo

modo ergo e morte aeterna eluctari, perfectamque obedientiam reddidit a morte nosmet ipsi prestare potuissimus. Itaque Mediatoris, Vadis ac Sponsoris nostri, Christi, adventu jus legis impleri debuit, qui non tantum perfectam legi prestavit obedientiam, sed & mortem subit nostri loco maledictam, condemnatus pro nobis ob peccatum, ideo hoc pacto δικαιώματα redundare dicitur in omnes homines ad justificationem vitae. Rom. V, 18.

X. Sequitur, de Subjecto, cui tribuitur h. l. τὸ δικαιώματα, cum dicitur πληρωθῆναι

Εν ἡμῶν,

Ubi id tantum observari meretur, particulam ἐν non significare semper inherentiā essentialē, aut praesentiam qualitatis habitualis in substantia quadam, sed non raro idem esse ac inter, apud, penes. Frustra ergo Pontificii, & alii, ex hac praepositione oppugnare instituunt justitiam imputatam, quae extra nos tantum adfit. Ipse GRETSEYUS, Jesuita, in institutionibus L. Graecae, p. m. 103. ἐν docet significare, penes, idemque ex Demosthene comprobatur: ἐν γὰρ τῷ θεῷ τὸ τέλος τῆς τέως ἡμῶν, ἢ ἐν ἐμοὶ. huius rei exitus penes Deum, non penes me erat. Plura habet FRANCISCUS VIGERUS, libr. de Idiotismis Graec. dict. p. m. 333. seqq. In nobis adeo impleri dicitur τὸ δικαιώματα τῶν νόμων, quia sic nostra sit impletio Christi per imputationem, ac si a nobis facta esset, & in nostra persona contigisset. Jer. XXIII, 6. 1. Cor. I, 20. 2. Cor. V, 21. Conferantur, quae ad vindicandum hunc locum attulerunt PRUCKNERUS in Vindiciis bibl. h. l. FRIEDLIVUS, in Observat. bibl. h. l. cujus verba haec sunt: Falsum est, quod ἐν notet perpetuo inhesionem: nonnunquam enim idem est, quod Germanis, An, quemadmodum sumitur 1. Thess. II, 12. Sic nos in Deo glorificamur, non inhesionem, sed quatenus nos liberat a calamitatibus, 1. Tim. I, 16. Matth. V, 17. Luc. XXI, 22. it. CHAMIER in Panstrat. Cathol. tom. III. lib. II. c. 7.

c 7. SCHERZERVS in *Antibellarmino* pag. 76. alii. In meliorem ita sensum particulam *in* B. BALDWINVS h. l. exposuit: Non docetur, quid *A* sanctis fiat, aut fieri possit, sed quid *IN* sanctis fiat, seu quid Christus fecerit pro sanctis. Dicitur adeo fieri *IN NOBIS*, quia propter nos facta, & per fidem nobis imputata est. Quemadmodum enim in Christo erat *κατάνομος* & peccati reatus, non *inhærens*, sed *imputative*; ita in nobis est *δικαιώσις* per commutationem judicialem. Optime, ut solet, B. CHEMNITIVS: *Iustitia illa imputativa est in credentibus: formaliter vero & positive in Christo mediatore: & Pater sua bonitate & misericordia alienam illam iustitiam nobis communicat & imputat. loc. theol. de Justific. cap. 3. conf. HEIDEGGERVS differt. theol. Tom. I. num. IX. §. 14. 15. WITTICHIVS in comm. h. l. WITSIVS Oeconom. fœd. l. 3. c. 8. §. 42. Cætera verba in nostro commate: Τῶς μὴ κατὰ σάρκα περιπατεῖσθαι, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα, amplius describunt subjectum, credentes scilicet in Christum, quod tales sint, qui non ponant impedimenta ordini divino, qui efflagitat, ut judicia Dei in peccatores, ac summa miseria naturæ humanæ contrito corde agnoscantur, iustitia a mediatore parta vera fide suscipiatur, nec queratur, aliud reconciliationis medium, huiusque fidei status proba sanctaque vita commonstretur, atque exornetur. Quomodo enim illi verba: κατὰ σάρκα & κατὰ πνεῦμα, accipienda sint, uti h. l. ex contextu facile patet, ita, quod ad alia N. T. loca, alio cum Deo tempore investigaturi sumus.*

SECTIO II. Πραγματολογική.

I. Hominem Deus condidit ad *iustitiam*, sanctissimamque sui communionem, hoc quidem consilio, ut summa semper felicitate perfrueretur, ipse tum benignissimi sanctissimique conditoris gloriam amplificaret recte factis, ac cetera eum semper pura,

pura, integra, incorrupta & mente & voce, & anima & corpore veneraretur, in eodemque tanquam summo bono, atque ejus voluntate obsequentissime acquiesceret & exultaret. Id sine multo colligendi negotio intelligamus:

a. *Ex conditione naturæ humanæ*, quæ non frustra mente intelligente ac desiderante instructa est, & vi hujus boni res, rerumque causas & origines, & proprietates, & nexus & gradus percipere, dijudicare, unumque ex altero colligere, atque summum tandem rerum omnium opificem ac moderatorem invenire, & amplius de illo investigare potest. His de finibus apertissime Scriptura loquitur, *Actuum Apost.* cap. XVII, v. 27. *Roman. I.* 20. 21. 25. Ex *Ethnicorum*, inprimis *Pythagoræorum*, *Platoniorum*, & *Stoicorum*, tenebris tantum lucis huic rei affunditur, ut, multa licet in veritatis confusione, eos, deprehendamus magna quædam explicuisse & tractasse de singulari Deum inter & homines commercio constituto. Summatim conferantur illa, quæ *PFANNERUS* in *System. theol. gentilis prioris* ex gentiliū testimoniis coacervavit, cap. I. §. 3. II. §. 6. V, §. 6. inprim. cap. VII. §. 3. 6. 7. 8. add. *HUETIVS*, in *Almetanis quest. lib. 2. cap. 7. §. 2. lib. 3. cap. 2. BVDDEVS*, dissert. de *νατάρα pythagoræo-platonica*.

β. *Ex conscientie incitationibus*, quæ efficiunt, ut recte factis homo animo sit securus; contra autem perpatratis constringatur ad perturbationem, luculenta admodum demonstratione, esse supremum hominum judicem, qui vitæ eorum & actionum rationem habeat, cujus voluntas, in natura patefacta, aut sequenda sit, aut ira extimescenda. *Rom. II.* 14. 15. Cum vero his naturæ impulsibus per lapsum & depravationem naturæ humanæ multa sint injecta impedimenta, multæque & gravissimæ offuscationes inductæ, clarius eandem veritatem, de homine ad justitiam condito, perspicimus ex iis, quæ

γ. *Ex divina revelatione* in SS. magno argumentorum

C

&

& numero & pondere suppeditantur. Primis hic lineis homo dicitur creatus in *immagine divina*, Genes I, 26. 27. quod Paulus explicat per *veram iustitiam & sanctitatem*. Ephes IV, 4. Coloss. III, 10. Ex eodem divinae revelationis codice discimus, quantæ, quantaque cum sanctitate & comminationum sanctione leges hominibus sint impositæ, quo evolvamur, *Exodi XX. seqq. Levitici XXVI. Deuteron. VI, 4. 5. 6. 7. 8. X, 20. 21. XXVII. XXVIII.* Datæ autem leges testantur de *voluntate legislatoris*, eiusque finibus & *rationibus*, quare imponat, tum de *capacitate illius*, qui leges servare debet.

II. Deus perfectissimum JUS habet postulandi ab homine iustitiam summam, propterea, quod homo in omnibus, quæ bona sunt, *dependentiam* habet a Deo, voluntatem ejus *novit*, ab eoque & *vitam & vires*, & *media*, & *modos* servandi leges, accipit, idemque est supremus dominus, qui hominem sibi in *servum & instrumentum gloriæ & præconem maiestatis suæ ac benignitatis* voluit esse, uti exstat *Deuteronomii* cap. X, 17. 20. 21. *Jehovah, Deus vester, ipse Deus Deorum & Dominus Dominorum, Deus magnus, potens & formidabilis.* *Jehovah, Deum tuum, timebis, illi servies, illique adharebis, & in nomine eius iurabis.* Ipse laus tua, idemque Deus tuus. Item 2. Chron. XXIX, v. 11. numer. ebr. *Tua, o Jehovah, magnificentia, & potentia, & decus, & victoria, & honor.* Nam omnia (tua sunt) in cælis & in terra: tuum, o Jehovah, regnum & exaltatus es super omnia in caput.

III. Testantur adeo de hoc jure LEGES, actu a Deo positæ & propositæ, imprimis morales illæ & naturales, quæ recte dicuntur *efflagitare trimam perfectionem: perfectionem partium; perfectionem graduum, perfectionem durationis.* PRIMUM enim legis divinae partes singulæ ita inter se sunt conterminæ ac conjunctæ, ubique invicem ita connexæ, ut qui unam ejus partem transgressus fuerit, totam legem transgredi dicatur.

Ita

Ita etiam Deum ipsum, ejusdemque gloriam, respiciunt universa, ut spreta, aut neglecta Dei legislatoris auctoritate in unius alicujus mandati transgressione, non possimus in reliquarum observatione, ea, qua debemus, quaque par est, mente, Deum colere, eique obsequium debitum præstare. Hinc unaquæque legis particula ita consentanea est justitiæ, ut, qui vel minimum ejus jota vel agendo, vel omittendo fuerit transgressus, is merito in conspectu Dei injustus & peccator habeatur. vid. Matth. V, 18. 19. Jacob. II, 10. *DEINDE* necesse est, ut lex omni virium contentione, & mentis & cordis castitate, integritate ac devotione, tum justis de causis & finibus, rectisque modis mediis ac consiliis præstetur. Matth. XXII, 37. Deut. V, 5. Unde est, quod legis transgressor quis habetur, non solum, qui, quod lege prohibetur, perpetraverit, aut qui omnino quicquam omiserit, sed etiam qui alio modo & sine, quam ut lege cautum est, idemque perfunctorie præstiterit. *TANDEM* quod uno tempore præstandum, id singulis est servandum eadem cura, quia eadem semper Dei est sanctitas, idem jus, eademque voluntas. Hac ratione alio tempore exposui, quomodo in lege naturæ & morali *nec abrogatio, nec derogatio, nec dispensatio, nec relaxatio aut mutatio ulla valere possit.* dissert. de legis tabulis nondum confractis. A. 1714. habita.

IV. Quicumque igitur ex hominibus contra ullam legem divinam, aut ullam legis divinæ partem, ullove modo, agit, violat is Deum & attributa divina. *Expresse* enim, aut *tacite & consecutive* negat, *Deum esse Dominum suum*, ad cuius voluntatem in omnibus respicere debeat. Deum, negat, esse omnium rerum scientem, aut observantem. Ipsi judicia aut poenarum severitatem nihil æstimat. Pessime sentit de ipsius benignitate, in multisque aliis de majestate Numinis & judicis sui detrahit. Recte Psalmus X, 3. 4. *Gloriatur impi-*

us de concupiscentia anime sue, non querit (Deum): non (est) Deus in omnibus cogitationibus ejus.

V. Deus immutabilem in modum omniscius, sanctus, verus & justus per essentiam est, adeoque immutabiliter etiam secundum illas perfectiones de rebus in se & extra se positis iudicat, & tales eas aestimat & declarat, eo quoque modo eas accipit & tractat, quales eas in statu suo & conditionibus variis per omniscientiam deprehendit. Ita non potest se abnegare, nec dissimulare virtutes & perfectiones suas, neque id, quod nefas & inconveniens est, justum iudicare, aut id facere, quo ostendatur, se non esse illum Deum, qui est, & qui majestatem, quæ divina est, & in qua supremum Dei dominium super homines, & omnia, residet, non habeat. Omnes enim perfectiones ac virtutes summo & eminentissimo gradu æquali ratione possidet. Summa ergo benignitate in hominem, ad imaginem suam ac consociationem conditum, fertur, ejusque miseria, si qua affligitur, gravissime commoveretur. Sed eodem perfectionis gradu in Deo consistit justitia & averfatio mali, adeo ut Deus nec justus nec sanctus censendus esset, si peccatorem, qua peccatorem, aut *amaret*, aut non odisset & *puniret* peccata, aut illum, qui nullam haberet justitiam, *justificaret*, nec summopere *detestaretur*. Neque vero per sanctitatem suam aut agendo aut patiendo ostendit Deus, ut credatur, se talem esse, qualem ipsum homo peccans habuerit, *ne similis fiat hominis*, *Psal. I, 21*. Solidissime ergo hac de re B. CHEMNITIUS: *Deus non justificat hominem per errorem, sicut iudex sepe causa non examinata vel non satis cognita pronunciat; nec per incuriam, quasi non curret transgressionem suæ legis: nec per iniquitatem, quasi approbet iniquitatem, commiveat & colludat cum impiis. Talem enim justificationem Deus ipse pronunciat esse abominationem. Exod. XXIII, 1. Es. V, 23. Prov. XVII, 15. Loc. de Justif. cap. 3.*

VI. Non potest adeo Deus non querere, ut virtutum ac perfectionum suarum gloria atque præstantia inter homines
quam

quam maxime amplificetur & integerrima consistat. Igitur ut homo peccans, alique recte intelligant, Deum adhuc summum esse dominum & accuratum justumque judicem, infligendæ sunt poenæ, aut satisfactio præstanda, ut per compensationem aut *poenalem*, aut *realem*, tantum majestati divinæ restituatur, quantum eidem per peccata fuit detractum. Quo graviolem adeo poenam Deus inflixerit peccanti, & delinquenti contra infinitam majestatem, hoc magis restauratur id, quod ei fuit detractum; quanto vero magis poenam promeritam absolute remitteret, tanto idem iustitiæ suæ amplius derogaret.

VII. Per peccata adeo evertitur status communionis Deum inter & homines, qui si de novo erigendus fuerit, atque homo recipiendus sit in gratiam & foedus amicitiae divinæ, talem prius *compensationem* afferat, oportet, unde Deus læsus tantæ compos fiat gloriæ, quantæ fuisset, si homo omnino non deliquisset. Et tali etiam *sanctitate ac iustitia* compareat homo, necesse est, qualem ante omne peccatum ex creatione & ordine divino habuit. Non mutat enim Deus, quæ semel iustissimis ex causis constituit idem.

VIII. Homo licet fuerit prolapsus ex perfectionis statu, & corruperit naturam suam, viresque omnes amiserit, ut sibi non possit consulere, perfectissime tamen obligatus manet *tum* ad præstanda illa omnia perfectissimis & gradibus & partibus, ad quæ servanda conditus erat, *tum* ad defectus naturæ & damna reparanda, quibus instrumentum gloriæ divinæ destruxit, *tum* ad compensandam læsionem infinitæ divinæ majestatis, aut si, hoc non possit, obnoxius manet rigorosissimæ condemnationi. Delinquens enim in Dominum suum lædit quidem ejus jus & auctoritatem, eandem vero minime tollit aut subvertit.

IX. Homo lapsus nullo modo aut gradu vel præstanda potest præstare, vel reparare damna aut defectus, & reus adeo

manet culpæ & subjectus pœnis. *Qui enim Deum aut Dei sanctitatem propter cecitatem mentis non satis cognoscit; neque divinis rebus aut legibus delectatur, sed easdem potius inimico animo fugit aut prosequitur, extra Dei vitam est, ejusque spiritum: voluptatum pravarum servus est, & mortuus in peccatis, is, tantum abest, ut aliquid boni præstet, aut restituat, ut potius magis graviusque delinquat, & acerbiores adeo in dies sibi reddat condemnationem, positus prorsus extra gratiam Dei. Eum vero in modum cum homine lapsio comparatum esse, iisdem verbis, quibus sum usus, Scriptura confirmat, Rom. III, 23. V, 12. VI, 19. VII, 5. sqq. impr. 18. VIII, 7. 1. Cor. II, 14. Ephes. II, max. part. Eph. IV, 17. 18. 19.*

Fingamus etiam, *semel duntaxat a quodam violatam esse legem*, totam vero deinde legem ab eodem ex propriis viribus accurate impleri, hæc tamen posterior sanctitas & obedientia non posset ad compensandam vel tollendam priorem culpam, aut reatum amovendum valere. Nihil enim amplius eo facto præstaretur, quam quod, etiamsi nunquam penitus peccasset, ex perfectissimi juris divini obligatione homo deberet. Quod enim per se simpliciter æquum & justum est, ex rigorosa obligatione debitum, ut injustum sit, si id non præstetur, non potest id pro culpa commissa vere satisfacere, eatenus saltem, ut reus inde secundum legis severae normam justificari vere possit, cum nimirum ex debiti unius solutione pro debito altero satisfieri nequeat.

Eadem est ratio, si vel maxime homo novis gratiæ viribus instruatur. Ad omnia & ibi per se obstrictus tenetur homo regeneritus, licet in statu renovationis, *quod tamen ipsa negat Scriptura*, quam perfectissime viveret. Quinimo quo majora sunt dona nova, præter & contra merita collata, eo majores strictioresque existunt obligationum exaggerationes.

Neque per nudam *culpe agnitionem*, aut *confessionem humilem*, aut per *nudum dolorem & deprecationem*, aut *meram aliorum intercessionem submissam*, vera compensatio affertur. In his enim modis omnibus nihil amplius inest, quam *comprobatio iterum iterumque confirmata: Crimen vere commissum, idemque grave esse.*

Neque per *alium nudum hominem*, sanctissimum licet fieri posset satisfactio. Quantum enim quisque modis omnibus & gradibus potest, tantum pro se ipso debet. Multo minus quid efficeret homo lapsus, semel licet peccaverit. Et cum Dei ipseus, contra quem peccatur, infinita sit majestas, læsa certe tanta majestate, cujus in homines absoluta est potestas & summa justitia, eousque infligendæ essent pœnæ gravissimæ, quousque duratura esset illa justitia & majestas. Pœnæ adeo sequerentur infinitæ. Aut, si tollendæ essent, compensatio infiniti valoris esset præstanda. Necessè adeo erat, ut pretium illud, quo perfecte tolleretur peccati reatus omnis, & verissimum & plenissimum existeret, quodque divinæ tum justitiæ, tum legi absolute satisfaceret, utpote cujus justitiæ satisfieri non poterat, nisi legi etiam satisfaceret.

X. Omne ergo & compensationis & satisfactionis negotium in se suscepit ille, qui ea de causâ dictus est **MEDIATOR DEI & HOMINUM**, ipse verus simul Deus & homo, i. Tim. II, 5. non potens tantum, sed & idoneus ad illa omnia & sustinenda & præstanda, quæ ad plene satisfaciendum essent illo modo necessaria. Subibat igitur in locum nostrum, omniumque hominum personam, *vas* ipsorum factus & *sponsor* vel potius *expromissor*, induebat. Ita fiebat *ναρὰ*, Galat. III, 13. Peccatum, 2. Corinth. V, 21. Ἀντίλυτρον i. Tim. II, 6. quo sensu **ATHANASIUS**, *Orat. de incarnat. verb. oper. tom. 1. p. 43.* Christum sæpius vocavit ἀντίλυτρον. Ἀντίλυτρος vero ille est, qui animam, vitamque suam pro alio devovet ac in mortem tradit.

Eadem

Eadem de causa dicitur Servator noster ἑγγυος, Ebr. VII, 22. id est talis, qui in iudicio est ἀναδεχόμενος τὴν δίκην, & se ipsum pro reo substituit. Hunc in modum perficiebat omnia, partim servando leges, factus inde τέλος τῶ νόμου. Rom. X, 4. partim poenas infinitas patiēdo, dictus inde מוֹכַחְנוּ שָׂאָן, vir dolorum, contemptus, confossus, contusus ob iniquitates nostras. Esa. LIII, 3. 4. 5. it. Sacrificium θυσία, πρὸς Φορὰ. Ebr. X. Unde secuta fuit τελείωσις. I. c. Quemadmodum effectus ex pleno isto officio mediatorio exorti nominantur λύτρωσις, Luc. I, 68. ἀπολύτρωσις, Rom. III, 24. ἀγάπησις. 2. Petr. II, 1. ἔξαγερασμός, Gal. III, 13. ἰλασμός. 1. Joh. II, 2. χάρις, Joh. I, 26. 27. εἰρήνη, Rom. V, 1. καταλλαγή ibid. v. 10. δικαιοσύνη, 2. Corinth. V, 21. Σωτηρία, Ebr. II, 10. V, 9. &c.

XI. Qui docent igitur, Deum iustum in negotio redemptionis humanæ egisse & agere per nudam acceptilationem; item, Christum fuisse aut dici mediatorem hominum ea ratione, quod sicut Moses in veteri; ita ipse in novo testamento voluntatem Dei, novumque fœdus annunciarit, atque idem novis sponfionibus, perpeffionibus ac morte confirmaverit, ad servandas item legis conditiones, ad vitæ scilicet emendationem nos impellat, tum ad virtutes, & patientiam & perseverantiâ suo ipsius exemplo inflammet, ac nobis in pia vitâ vacillantibus adsit & optulerit: illi omnes, quid Scriptura de iustitia Dei, perfectione legis, officiis & operibus Christi efficacissimis verbis enunciarit, aut nunquam legerunt, aut intelligere vel non potuerunt, vel noluerunt. Profecto crudelitatis summæque injuriæ Deus foret accusandus, quod Christum tot tantisque cruciatibus subjecisset, si nuda sufficisset remissio aut levior acceptilatio. Ex odio enim fit, ac vindicta improba, quando exigitur, ut patiēdo factis fiat, si agendo haberi potest iusta compensatio; aut quando compensatio durior postulatur, si libera valere potest remissio.

XII. Per

XII. Per Christum vero agendo & patiendo acquisitum *δικαίωμα τῆ νόμου* homini fit proprium per *imputationem*, in fide ordinatam, non secus, ac Christus respiciebatur & tractabatur, ut gravissimus peccator, sive potius, ut *merum peccatum*, per ejusdem generis reputationem. Unde est, quod singularia vocabula in SS. hac de re usurpentur, præcipue vox illa *λογίζεσθαι*, quæ in hunc sensum de *imputatione*, & *reputatione*, in unico capite IV. epistolæ ad Romanos *undecies* adhibetur. Plura vid. ap. B. *CHEMNITIVM*, loc. theol. de justif. tit. de *vocabulo imputationis*.

XIII. In opere adeo redemptionis, tum & justificationis, si hæc in amplioribus circumstantiis sumatur, est quædam *permutatio judicialis*, dicta aliis *moralis*, ubi scilicet unus pro alterius persona respiciendus est. Ita peccata hominum, non quidem ratione *commissionis* & *macule activæ*, sed ratione *reatus* fiebant peccata Christi, quando ipsi, ut *Expromissori* imputabantur, ipseque ea expromissorio nomine suscipiebat, ut pro iis lueret. Desinebant adeo esse peccata nostra, quatenus nos ob ea, propter Christi satisfactionem in iudicio Dei ad condemnationem, aut satisfactionem in propria persona, compelli neque debemus, neque possumus. Contra vero omnis *perpeffio*, *crucifixio*, *mors*, *omniaque merita* Christi ita reputantur esse in nobis, a nobis *tolerata*, a nobis perfecta, quasi ipsimet nos omnia & singula sustinuissemus. Efficacissime hac de *permutatione* Paulus loquitur, e. gr. Roman. VI, 4. 5. 6. 8. *in mortem Christi baptizati sumus. Sepulti ergo sumus cum ipso per baptisma in mortem. Si namque complantati facti sumus similitudini mortis ipsius, utique etiam resurrectionis erimus: hoc scientes, quod vetus noster homo crucifixus sit. Mortui ergo sumus cum Christo.* Nec alia de causa Apostolus ibi meminit *σώματος θνήσκειν*, quod corpus nostrum sit mortuum, quo de loco alio tempore. Pari modo in *Epist. ad Galat. c. II, 19. 20.* *Ego per legem legi mortuus sum,*

ut Deo vivam: cum Christo crucifixus sum. Vivo autem non amplius ego: sed vivit in me Christus. Non fecus ad Philipp. III, 9. 10: ut cognoscam ipsum, & virtutem resurrectionis ipsius & COMMUNIONEM passionum ipsius, ita ut conformis fiam morti ipsius. Et ad Coloss. II, 20. mortui estis cum Christo. it. cap. III. 3. Et 2. Cor. V, 14. quodsi unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt. Hæc enim & talia dicta cetera non tam ad caput de *Unione Mystica*, multo minus ad caput de *renovatione* formaliter pertinent, sed ad caput de *Justificatione*, & quidem ad *causas justificationis antecedaneas*. Antequam enim Deus, justus iudex, justificare, id est, absolvere possit hominem, is necessario habere debet justitiam perfectam, legi divinae convenientem. Hanc autem in fide tenet per imputationem. Imputatio vero pro fundamento habet permutationem illam personalem inter Christum ex una, & inter credentem ex altera parte. Neque, ex mea quidem sententia, inconsultum esset, in *theologia peculiare constituere caput*, in quo hac de *commutatione* ageretur, & dicta adeo scripturae, tum doctrinae huc trahendæ distinctius & magis sine confusione, quam sæpius usu venit, in eo explicarentur. **JUSTINUS** certe **MARTYR**, in epistola ad Diognetum hanc vocat γλουκειαν καὶ ταλλαγήν καὶ ἀνιχνίαν δημιουργίαν. De eadem **AUGUSTINUS** eximie in *enchirid. ad Laurent. c. 41.* Ipse (Christus) peccatum & nos justitia. Nec nostra; sed Dei: nec in nobis, sed in ipso. Sicuti ipse peccatum: non suum; sed nostrum. Nec in se; sed in nobis factus est. Recte eundem in modum, si ceteræ nebulae evitentur, **TAULERUS**, de homine vere in Christum credente: Du hast wahrlich alles / daß du glaubest / und wird dir durch solchen Glauben zugeeignet / was Christus hat. Also erfüllst du das Gesetz / daß es dich nicht beschuldiget: stürbest der Sünde / daß sie dir nicht schade: also ist aus Kraft des Glaubens durch Wirkung Gottes alles das dein / was Christus hat /

hat / und Christi / was du hast. O wie grosser Wechsel ! hieraus kommt es / daß dir keine Sünde schaden / kein Gesetz dich beslagen mag / denn **GOTT** nimmt das Leben und Sterben Christi an / gleichsam wäre es dein eigen. *In præfat. sup. Evang. Joh. conf. GERHARDUS in confess. cathol. Lib. II. Part. III. Artic. 23. cap. 4. p. m. 1486.* Selectissima quoque afferri possent ex **LUTHERO**, maxime in explicatione cap. XIV. Johannis, & *commentario ejus in epistol. ad Galatas, ubi de formula: Ego sum Christus.* Item ex **FLACII** libro de *Justif. c. 8 num 37.* **WOLFLINI** tract. de oblig. cred. in *Christ. p. m. 66.* **GRAPPI** theol. contr. recentiore, Part. II. sed pluribus jam superfedemus. Ceterum quomodo possit verus Christianus dicere; *Ego sum Christus*: ex iis, quæ hætenus non una in Academia disputata sunt, luculenter satis constare potest. Inprimis evolvas *summe venerandi Senis FECHTII* Disput. de **CHRISTO IN NOBIS**: & **RUMPÆI** Disput. in formulam: *Ego sum Christus. conf. etiam WITSIUS, Miscellan. Sacr. Part. II. p. m. 768. sqq.*

XIV. Actus realis, præsentia & effectus hujus commutationis moralis, seu potius judicialis, in homine ad ipsam possessionem ac perceptionem utilem tunc adesse & reputari dicitur, cum homo **FIDEM** habet & possidet. Hæc enim arripit, & tenet τὸ δικαιομα τὸ νόμος a Christo acquisitum, unde possit justificari. Phil. III, 10. Quam ob causam docent theologi *fidem justificare RELATE*. Aut clarius dixerimus: eam justificare **METONYMICÆ**. Effectus enim, justificatio nimirum & gratia & salus, tribuitur **REI CONTINENTI** scil. *fidei*, qui proprie oritur & constat ex **RE CONTENTA**, ut pluribus id exposui dissertatione: *De formulis caute loquendi circa fidem. Anno 1710, hab.*

XV. Formalis justificatio sequitur, simulac homo, in commutatione judiciali consistens, fide apprehendit partem a Christo justiciam. Unde sequitur: *I. Deum non justificare quempi-*
D 2
am,

am, nisi adfit iustitia, legi accuratissime conveniens. II. Justificationem suo modo esse legalem. III. Pœnitentiam, conversionem, preces & supplicationes, jejunia & humiliationes, emendationem vitæ, & alia non referenda esse ad causas justificationis vel inchoantes vel promerentes, vel confirmantes, sed tantum ad ordinem & statum vel justificandi vel justificati. In nulla enim harum rerum est δικαίωμα τῷ νόμῳ perfectum.

XVI. Neque δικαίωμα τῷ νόμῳ perfectum est in ipsa credentis fide, quatenus hæc in ipsa natura sua & proprietate consideratur. Veritatis ergo confusores sunt, qui docent, fidem, uti in homine pio, integro, & ingenuo, qui Deum sincere sequi omni modo annitatur, actus sit & opus sincerum a bono pioque animo profectum, imputari per ἐπιστημὴν evangelicam, misericordem Dei acceptilationem pro iustitia perfecta. Deum enim respicere animum volentem, non perfectionem. Quæ si valerent, quid opus fuit δικαίωματος & πληρώματος τῷ νόμῳ.

XVII. Nihilominus autem verum perficit: Deum justificare nos ex gratia, condonare nobis & remittere. A sapientissimo enim ac benignissimo consilio Dei est restauratio salutis nostræ, non nostræ inventionis. Hæc omnia ex Deo, qui reconciliavit nos sibi ipsi per Jesum Christum. Nimirum Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. 2. Cor. V, 18. 19. Satisfaciens, actori & judici Deo carissimus & conjunctissimus existebat, qui summo tamen supplicio pro sceleratissimis, ex quorum perditione sempiterna gloriam quoque sibi amplissimam acquirere potuisset, fuit subjectus. Et satisfactionem admisit iudex, ubi pro libertate sua condemnare potuisset in perpetuum.

XVIII. Omnes ii, qui δικαίωμα τῷ νόμῳ in fide tenere ac continuato statu possidere, omniumque exinde bonorum participes manere volunt, tales debent esse, qui non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulent, id est, malitiose non rejiciant gratiam divinam, nec alia per fastuosas cogitationes salutis media

media quærant, nec voluptatibus suis & depravatæ naturæ incitationibus ferviant, nec libertate Christiana ad tegumenta peccatorum abutantur, sed qui lege Dei viisque sanctissimis delectentur, & ubique statui suo convenientem vitam degere conantur. Improbam enim vitam, *recte judicant*, eos non decere, qui ut carissime redempti, a Deo dilecti, divinitus vocati, in statumque communionis divinæ reducti judicari volunt, cum quibus Deus etiam communionem continuare non possit, si per *negligentiam* aut *socordiam*, aut *levitatem*, aut *malitiam* sese egerint ex *divinis* restituto statu. *Si secundum carnem vivitis, moriemini*. Rom. VIII, 13. Pia quidem vita non *conservat* in ipsis, nec *auget*, nec *confirmat*, nec *efficit*, aut *meretur* fidei justitiam, propter quam justificantur; impia tamen vita impedire potest eandem, in eumque statum hominem conjicere, in quo fidei justitia applicatio locum non possit habere.

XIX. Veri ac pii Christiani homines ut in & per fidem *divinam* perfectissimum possident, cum considerantur in regione *justificationis*; ita cum respiciuntur in *statu renovationis*, sive *emendationis ac pie vite*, *divina* perfectum in & per se habere dici nullo modo possunt, licet per vires Spiritus S. & gratiæ agant ac operentur. Quæ optime enim & legi maxime conformia ab hominibus fieri videntur, non adeo sunt secundum legem perfecta, & ad ejus normam accurata, quin quoad tum *integritatem partium*, tum *sinceritatem graduum* multa deficient, & peccatis quibusdam accessoriis insuper ita contaminentur, ut, si Deus nobiscum stricto jure ageret, merito forent rejicienda, & inter legis transgressiones reputanda. Rom. VII, 8. 9. conf. B. HANNEKENIVS, in *dissert. de Gradib. Sanctitatis*. Bona opera *vere perfecteque talia ne quidem in renatis dantur, nedum in gentilibus*. Ita F. ECHTIVS in *Sylog. contro. Disp.* 41. Affirmare id quidam nostris temporibus ausi sunt, *pios per gratiam Spir. S. posse habere perfectionem partium*, licet consequi non valeant

leant omnium graduum perfectionem, quo evolvas Dn. BREIT-
 HAVPTII tractatum de perfectione partium & graduum, cum
 quo omnino conjungendæ sunt solidissimæ utilissimæque Ob-
 servationes summe Reverendi Dn. D. LOLSCHERI, Dresdensis,
 in Nov-antiquis Anno 1704. p. m. 43. seqq. & p. 771. seqq. Am-
 plius quidam adjecerunt: posse nos ad gradum sanctificationis a
 summo proximum in hac vita pervenire. Auctor Apocatastasos
 omnium rerum, sat fama & scriptis celebris, tom. I. prolixè hac
 de re egit: cujus hæc sunt axiomata: Es könnten jest Christen
 seyn / die durch und durch aheiliget wären / und die Wiederbrin-
 gung an ihnen nach der Oeconomic dieser Zeit vollendet finden.
 Es sey möglich seyn / daß keine Sünde übrig bleibe. Sed his de
 summitatibus & possibilitatibus (in re barbara, barbare est lo-
 quendum) Scriptura nihil novit, sed *δικαιοσύνη τῶ ἔθνῶν* in nobis
 esse dicit per imputationem in fide.

XX. Tantæ ergo necessitatis est, ut homo in fide per im-
 putationem habeat *δικαιοσύνη τῶ ἔθνῶν* in Christo, ut, si de hac ju-
 stitia imputata variis modis detraxerit, aut electis conjunctisque
 aliis salutis mediis de illa dubitaverit, aut illam non, ut plenam re-
 conciliationis suæ causam susceperit, aut prorsus eam non æstima-
 verit per incredulitatem ac rejecerit, aut per negligentiam fcor-
 diamque investigandi, vel ignorantiam malitiosam, vel vitæ impie-
 tatem posthabuerit eandem, sub ira Dei, justissimi judicis, maneat, ac
 sub perpetua, nisi mutatio sequatur, condemnatione consistat. Qui-
 cunque non credit, condemnatus est *Marc. XVI. Qui credit in Fi-
 lium* (suscipiendo partem ab ipso justitiam:) *habet vitam æternam;*
qui vero non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super
illo. Joh. III, 36. Unde constat, non tantum *Judeos, Muhammeda-*
danos, & Gentiles, qua tales, salvari nec dum posse, nec unquam sal-
 vatos fuisse, licet vitam quandam probiorem agere videantur; ve-
 rum etiam *alios,* utut christiano nomine exterius insigniti ince-
 dant, sub eodem condemnationis judicio esse & manere.



PRÆSES Respondenti S. P.

Non sine publico diligentæ monimento discedere voluisti, MüCKENI *optime*, ac ejusmodi argumentum elegisti, in quo explicando comprobare posses, quid in summis theologiæ capitibus hæcenus perceperis. Abis jam in Academiam, ut contines magis, quæ cepisti. Fac, amplius vires pericliteris. Nihil te remoretur. Nec ingenium tibi deest, neq; felicitas judicandi. Audias optimos Vitembergenses. Veritatis apertæ, non subdolæ confusionis sunt amantissimi illi, & servantes veræ pietatis. Testes integritatis suæ habent omnes bonos, illos etiam suo tempore, qui forsitan obscurius alias aut sunt, aut fuerunt iniqui. Ita prosequaris studia. Reverere Deum, & benignum simul & sanctum, & justum. Bibliæ tibi *νεμεσιδικοι*. Selecti libri sunt ministri voluptatum. Preces jucunditates quotidianæ. Amici optimi ex eruditione, moribus & pietate. Ita vivas, & valebis. Ita discas, nec unquam pœnitebit. Servet Numen tibi Tuos, sospitet te ipsis. Unde gaudeatis, sic estis habituri.



Ingenuas Temet scrutatum gnaviter artes,
 Ostendit specimen, Svaris Amico, tuum.
 Gratulor ergo Tibi, porro ad conamina rerum
 Præsens sit Christus, comprecor ex animo.
 Quo tandem felix summo servire Jehovæ,
 Et caræ Patriæ commoda ferre queas.

Amico suo nunquam non adamando, colendo
 hoc perennantis amoris Testimonium gratulabundus adjicere voluit, debuit

C. D. F. BRUNN, Philol. ac Philos. St.

So kan man höchst beglückt den Helicon besteigen/
 Wenn unverdrosener Fleiß vom Anfang sich bemüht/
 Die wahre Gottesfurcht durch Tugend zu bezeigen/
 Und die Beständigkeit im vollen Glücke blüht.
 Dieß hat Er/ werthster Freund/ jetzt in der That erwiesen/
 Da Er in voller Freud auf den Catheder geht/
 Der Himmel laß auf Ihm die Glückes-Strahlen
 Bis daß Er dermahleins bey der Minerva steht.

Dieses Wenige wolte aus guter Wohlmey-
 nung beysügen

S. F. HEROLD, Bernb. Anh. SS. Theol Stud.
 Opponens.

Tu Specimen doctum cum jam jam ostenderis hocce
 Tempore Vernali; Splendor, Amice! tui
 Ingenii nitidus sic fulget; Comprecor inde,
 Ut tandem Patriæ commoda multa feras.

Paucula hæc Amicitie gratia ad ponere debuit

SAMVEL FRISNERVS, SS. Theol Stud.
 Primislav. Ukero-March. Opponens.

Gewiß/ wer so/ als Er/ die Künste hat getrieben/
 Und stets bey diesen Spruch: PLUS ULTRA ist geblieben/
 Der mag mit voller Lust auf den Catheder steigen/
 Und dafür jederman Minervæ Schätze zeigen.
 Drum lasse ich ganz kurz/ so meinen Wunsch erschallen/
 G D E E lasse all sein Thun Ihm fernerhin gefallen/
 So bleibt Er unverrückt auf seinen Tugend-Wegen/
 Und spührt an statt des Fluchs des Höchsten reichen Seeaen.

Dieses Wenige wolte mit eysfertiger Feder seinem
 sehr werthen Freunde entwerffen.

G. CH. Palm / Medio - Marchius Theol. &
 Philos. Cultor. Opponens.

94 A 7345

ULB Halle
000 782 815

3




Handwritten mark


94 A 7345

V. 17

HL. 95.







Q. D. B. V. 3
**ΔΙΚΑΙΩΜΑ ΤΟΥ
ΝΟΜΟΥ**
IN
**CHRISTO ET
CHRISTIANIS,**

ex Rom. VIII, comm. 4.

PRÆSES

CHRISTIANUS REUTERUS,
SS. THEOL. DOCTOR EJUSDEMQUE PARI-
TER ET METAPHYSICES PROF. PUBL. AT-
QUE AD AEDEM SS. TRINITATIS
PASTOR,

RESPONDENS

JOH. REINH. MÜCKENIUS.
LINDAVIA-ANHALTINVS

Theol. & Philos. Studiosus

PROPONENT

DIE VIII. APRIL. A. M. DCCXVI. H. L. Q. C.

SERVESTÆ,

**TYPIS JOH. FRID. ERNESTI, ILL. GYMN. ANHALT.
TYPOGR.**

an 2
Vio an 2